

ANNOTATIONES.

ANDROMACHAE v. 50. *παιδί τ' οὐδέν ἐστ'.* Fortasse legendum est *παιδί τ' οὐχ' οἴός τ'.*

V. 70. *πέπυσται τὸν ἐμὸν ἔκθετον γόνον πόθεν ποτ' ;* Quis tandem *πέπυσται*? Menelausne an Hermiona? Enimvero ambo, ut et praecedenti versu est *κτείνειν μέλλουσι* et ubique per totam hanc scenam. Vitiosa igitur oratio est quae ex duobus quorum eodem uterque iure intelligi potest unum memorat, nec tamen nominat. Porro Euripides, si sapuit, vix ista scribere potuit versu sequenti: *οὐκ οἶδ' ἐκείνων δ' ἡσθόμην ἐγὼ τάδε.* Recte quidem *οὐκ οἶδα* respondet famula, quum ab Andromacha unde Menelaus et Hermiona Moïossi latebras rescivissent interrogata esset. Sed illa quid sibi volunt *ἐκείνων δ' ἡσθόμην ἐγὼ τάδε*? Aut quis famulam unde ipsa rem illam comperisset percontatus erat? Nemo sane, ut nunc est. Sed ego continuo ut haec legi sic locum a poeta scriptum olim fuisse intellexi: *οἴμοι· πέπυσθε τὸν ἐμὸν ἔκθετον γόνον πόθεν ποτ' ; ὦ δύστηνος, ὡς ἀπωλόμην. — οὐκ οἶδ' ἐκείνων δ' ἡσθόμην ἐγὼ τάδε.* Quibus simul et pro se et pro dominis suis respondet. Prudenter autem Andromacha consilium suum ne cum popularibus quidem suis communicaverat, quippe quibus iam Graecorum servabus factis confessio vel invitis extorqueri posset.

V. 588. *σκήπτρω δὲ τῷδε σὸν καθαιμάξω κάρα.* Δέ hic non satis commodum est. Vellem equidem libri idem praeberent quod Iphigenia Aul. v. 300., ubi hic versus repetitur, *σκήπτρω τάχ' ἄρα σὸν καθαιμάξω κάρα.*

V. 650. Fortasse scribendum est *ὄν χρῆν ἐλαύνειν τήνδ'.*

V. 709. *ὄν ὄδ' ἐξ ἡμῶν γεγώς.* Legendum ὄ γ'.

V. 1100. Vulgo *Παρνησίας*, quae forma a trimetris certe aliena est.